

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or date, including the year 1711.



1. Gabrielis Schwederi de Matrimonio ad Morganaticum.
2. Joh: Barth: Heroldi de Rato Matrimonii.
3. Henr: Bodini de fallacibus Judiciis et Magis.
4. Pet: Mälleri de Hierologia s: Benedictione Sacerdotali.
5. Abrami Beeri de sigello Confessionis.
6. Crisl: Wildvogeli de Obligationibus fuerunt in ecclesia et seculo forenti.
7. Petri Müllereri de Panno Confessionario.
8. Crisl: Wildvogeli de Actus Electorü.
9. Eisdem de Succinatoribus eorumque Jure.
10. Crisl: Thomasi de iudicia distinctionis inter rursaria et Spanaria.
11. Crisl: Wildvogeli de Unione Electorali.
12. Eisdem de Scanno Comitione hanoveff.
13. Nic: Crispini Saueri de Diplomate Imperiali.
14. Eisdem de Reintegratione Circulorum S. R. I.
15. Abr: Georgii von Malleboroughis et Pfaffing in Ruffo Suisy Naud.
16. Henrici Coccei de Præcipua.
17. Joh: Gustav: Siberati de Scandalibus vulgo non Mülltru.
18. Henr: Hildebrandi de Diversitate lapidum fuerunt eorumque Jure.
19. Joh: Klingeri de Dofe.
20. Eshardil Spizeri de Stigmatibus.
21. Joh: Georgii Fichtneri de Amenationibus s: Excom etc.
22. Henrici Klaverhinzeri Comendat, mit die Jurisdictione s: Congr: obria p: hanc p: rüchke.
23. Eisdem Commentatio de Forme Opionia s: iudicij p: ad cœtus et p: hanc lial.
24. Joh: Brunnermanni de Sardinariis.
25. Hermannii Zollii de Remissionibus generosa fide vallatis.
26. Henr: Coccei de Instrumentis mutui praeliqui clausulis in Archy.
27. Joh: Crispini Hartungii de Scultetis Heniburgis et Scabinis pagor.
28. Georgii Wolffgangi Meteli de Spectris.
29. Eisdem de Incubo.
30. Henrici Linceni de Jure Ventori.



31. De injuriis q̄ laud raro novis nuptis per sparsorem disse-
 ctorum calumorum fragum etc.
32. Gabrielis Proddet. non Canonis Krift.
33. Joh: Christoph. Honig de Officio mariti erga suam uxorem.
34. Joh: Philippi Straubi de Commercio Romano sive veris
 contractibz.
35. Juhn Henrici Böhmeri de Personis Temperatis
 & Larva.
36. Joh: Bern: Fräsi de Jure Fontia.
37. Joh: Pet: Lüdewig de Jure Postumū hereditario.
38. Euphen Jura Valetudinarū Militū Emeritorū.
39. Jac: Frid: Ludovici de facto tutorū & pupillis non
 prestando.
40. Sam: Strypke de Jure Compensationis de proficiet mandati.
41. Crist: Wilhelmsli de Jure Embryonū.
42. Henrici Cocci de Commissio ubi de Mercibus contra
 bando.
43. Jac: Frid: Ludovici Problema Juridicū an et
 quotiens affecto humani in foro confiterent.
44. Sam: Strypke de Diverso Canonico Jure.

I. N. I.
POSITIONES SELECTÆ,
DE
MATRIMONIO
AD
MORGANATICAM,
VULGO

Vermählung zur linken Hand

Occasione textus 2. F. 29.

QVAS

FAVENTE JEHOVA,
PRÆSIDE

DN. GABRIELESCHWE-
DERO,

U. J. D. ET CONSVETVDINVM
FEVDALIVM PROFESSORE
ORDINARIO.

IN ILLVSTRI EBERHARDINA,

Publico Sympalestritarum certamini

subjicit

JVLIVS FRIDERICVS FRANCISCVS

*Höfzl von Sternstein/
Gäuldorffa - Limpurgicus,*

Ad diem Martii M. DC. LXXXIV. h. l. q. c.


ALTORFII NORICORVM

Editio altera TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.



DEO
PATRIÆ
PATRONIS
PARENTIBVS.





P R Æ L O Q V I V M.



Matrimonium quidem sua habet incommoda ac difficultates, ut & in proverbium abierit illud Plauti in *Fanudo* *At.*

1. Scen. 2.

*Negotii sibi qui vult vim parare,
Narvem Et mulierem hæc duo comparato:
Nam nulla magis res plus negotii
Habent.*

Quæ incommoda in fasciculum quasi collegit Socrates, juveni in bivio stanti, & utrum matrimonium inire deberet vel non? dubitanti, ac hinc consilium ab ipso expectanti, respondens: *Hic* (in cœlibatu) *te solitudo, hic orbitas, hic generis interitus, hic hæres alienus excipiet; illic* (in matrimonio) *perpetua sollicitudo, contextus quarrelarum, dotis exprobratio, affinium grave supercilium, garrula seculis lingua, subessor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus.* Negari tamen nequit, ut antiquissimum pariter & sanctissimum, ita & summè necessarium, utile ac honorabile esse matrimonium, quippe quod primum Reipublicæ fundamentum ac columen est, quoniam sine eo nec constitui, nec conservari ulla potest civitas. Et ideo recte Muson. ap. Stobæum *serm.* 65. *Quisquis, inquit, homines nuptiis privat, is abolet familiam, civitatem, Et totum genus humanum, quod absque generatione non potest permanere.* Quod quoque

facratissimus Imper. Leo secum perpendit, dum in *Nov. 26. pr.* scribit : *Magnum sane excellensque donum à Deo Creatore ad mortales promanavit matrimonium. Non modo enim naturæ vortis ingruvienti obnoxia opem fert, humanoque generi perpetuitatem elargitur &c.* ac Justinianus *Nov. 140. pr.* De hoc igitur, non in genere, sed in specie, quatenus ad Morganaticam vel Lege Salica contrahi dicitur, ab his, quos religiosè veneror, Positiones quasdam pro specimine Academico colligere iussus quid moror? qui malo obsequii gloria vincere, quam argumenti raritate certare. Institutum ex voto prospere cedat, Faxit DEUS, Faveas Lector!

POSIT. I.

Matrimonium ad Morganaticam est legitima Viri Illustris ac Nobilis, & sequioris conditionis foeminae, individuum vitæ consuetudinem continens, conjunctio, ea lege ac conditione, in favorem liberorum prioris matrimonii, aut agnatorum, contracta, ut foemina, liberique ex ipsa nascituri, dignitatis mariti ac Patris, contra Juris communis regulam, haud sint participes, nec jure succedendi in omnia defuncti post mortem relicta bona gaudeant, sed certo titulo, certisque ipsis per pactum assignatis bonis contenti vivant.

II. Præfiguratur illud 2. *F. 29.* hisce formalibus : Quidam habens filiam ex nobili conjuge, post mortem ejus non valens continere, aliam minus nobilem duxit : qui nolens existere in peccato, eam disponavit, ea lege, ut nec ipsa, nec filii ejus amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore sponsaliorum : verbi gratia decem libras, vel quantum voluerit dare quando eam desponavit ; quod Mediolanenses dicunt accipere uxorem ad Morganaticam, alibi lege Salica. Hic filii ex ea susce-

fufceptis decessit. Illi in proprietatem, non fuccedunt, aliis ex-
tantibus, fed nec in feudo, etiam aliis non existentibus: qui
licet legitimi fint, tamen in beneficio minime fuccedunt patri-
prioribus non existentibus. Succedunt etiam fratribus sine legi-
tima prole decedentibus fecundum ufum Mediolanenfium.

III. Dicitur autem Matrimonium ad Morganatici-
cam à voce Longobardica Morganatica, quæ non modo in
vulgari infcriptione, quæ ita fe habet: *De Filiis natis ex matri-
monio ad morganicam contracto*, (aliam verò habet Cujaciana
editio, in qua hic nofter titulus eft 31. libri quarti, hanc nimi-
rum: *Qui filii in feudo non fuccedant*,) fed & contextu ipfo 2.
F. 29. ut ex relatis verbis patet, legitur, effictaque eft ex Ger-
manico *Morgengab* corruptè pronunziato, vel perperam ex-
audito. Quo collimant & ii, qui *Morganaticam* ab illo Longo-
bardorum *Morgincap* (quod non femel, in ipforum Legibus
occurrit, donumque, quod fponfus die nuptiarum mane fpon-
fam falutans ei coram propinquis & amicis ante nuptiale con-
vivium ex more gentis obtulit, fignificat) derivatum eunt,
dubium enim non eft, quin & hoc ex verbo Germanico *Mor-
gen* mane, & vocabulo *Gab* fit compositum. A quibus in effe-
ctu parum quoque diftant, qui *Morganaticam* qs. *Morgenga-
naticam* à *Morgengnade* dici exiftimant, vocabulum *Gnade*
in ea fignificatione, ut donum five beneficium denotet, acci-
pientes. Qui autem *Morganaticam* qs. *Morgennath* i. e. fate-
lam matutinam, dictam efle perhibent, propterea quod do-
num matutinale quafi talis fatefa fit, qua hoc matrimonium
confuitur, ludere faltem vel jocari videntur. Vid. B. Mylerus
ab Ehrenbach in *Gamolog. Person. illuſtr. c. 6. n. 3. 4.* Diether. in
Orb. nov. literat. f. Contin. Theſ. Befold. voc. Morgengab.

IV. Et fic haud multum referre videtur, utrum Matri-
monium ad morganicam, vel ad morgengabicam,
aut morgengabam f. morgengebam contractum appelles,

cum omnia illa vocabula quoad nomen idem plane significant, & in Legibus Longobardorum, Alemannorum, Ripuariorum, aliorumque Germaniæ populorum, nec non passim ab Auctoribus & juris nostri Interpretibus, in generali significatione, promiscue pro dono sive munere matutinali, quod neogamus sub ipsis nuptiarum solennibus secundo die novæ suæ conjugii, in præmium virginitatis ac pudicitiae conjugalis, pro more gentis dare consuevit, usurpata reperiantur; testeturque Frider. Scheak Lib. Baro de Lautenburg in d. t. 29. se vetustissimum Codicem vidisse, qui hanc habuerit inscriptionem: *de Filiis vatis ex matrimonio ad Morgengabicam contracto*. Habent tamen hæc vocabula ista *Morganatica, Morgengabica, Morgengaba* aliquantò specialiore significationem, & certam bonorum mariti portionem, (quæ Longobardorum legibus ita determinata erat, ut quartam eorum, quæ tempore contracti matrimonii maritus in dominio habebat, non excederet) quam ipso uxori inferioris conditionis una cum liberis ex ea suscipiendis, in casum soluti matrimonii deputat, ut eadem contenti, tam à mariti & majorum bonis cæteris, quam à reliquis privilegiis, titulis & insignibus ablineant, denotat. Et matrimonium igitur ad Morganaticam seu Morgengabicam contractum dicitur, quando illud sic contractum est, ut novellus maritus, secundum mores aut leges Longobardorum ac veterum Germanorum, novæ nuptæ mox sub primordio conjugii, vel scriptura, vel viva voce, vel etiam reali traditione, coram propinquis & amicis donum tale matutinum constituerit, quo ipsa marito mortuo contenta sit & se honeste tueatur, nihil cum suscepturis ex illo liberis in reliqua ejus relicta bona amplius prætendens.

V. Hinc licet mos novæ nuptæ donum matutinale s. morgengabam constituendi inter Illustres ac nobiles hodie adeo sit frequens, ut vix ullum inter ipsos contrahatur matrimonium, ubi

ubi non Morgengabæ s. muneris matutini loco a novo marito novæ conjugii jocalia quædam vel certa pecuniæ summa, aut prædia agri villæ, pagi, imo quandoque etiam oppida cum redditibus suis offerantur, promittantur & tradantur; attamen non omnia illa illustrium ac nobilium cum similibus personis inita matrimonia, sub quorum primordiis talia in novas nuptas a maritis, pro affectione & patrimonii quantitate conferuntur munera, hic sub matrimonii ad morganaticam contracti nomine comprehendimus, sed illa tantum in specie nobis sub hoc nomine veniunt, quæ ab istis cum disparis & inferioris quidem conditionis sceminis ineuntur, certa his pro se ac nascituris liberis in partibus dotalibus loco doni matutinalis assignata bonorum quantitate, cum pacto, ut, ea accepta nihil amplius post fata ex bonis respective maritorum vel parentum, in præjudicium aut jam ante ex alio legitimo conjugio, natorum liberorum aut agnatorum, titulo successionis legitimæ petere præstent, hac enim conditione contracta matrimonia Mediolanenses ad *Morganaticam* contracta vocarunt. 2. F. 29. hodieque adhuc passim ab interpretibus hoc nomine insigniuntur.

VI. Alias hujusmodi matrimonium lege Salica contractum dicitur 2. F. 29. quam denominationem procul dubio accepit a Lege Salica Francorum, eo quod certum illius legis capitulum de matrimonio tali cum pactione inito egerit, illudque una cum annexa liberorum exinde natorum exclusionem a reliqua patris substantia firmavit. Et quamvis non desint qui Legis Salicæ existentiam, atque num ea unquam fuerit, in dubium vocare audent, per jocum Legem Salicam, & Constantini M. donationem Pontifici factam, eidem cistæ inclusas dicentes; attamen illam satis superque comprobant antiquissima a Contingio *tr. de Orig. Jur. Germ. cap. 7.* ex pristini ævi scriptoribus bona fide adducta monumenta & veritatis documenta, utut prima legis *indovis* nusquam forte amplius extet.

Unde

Unde autem sic dicta, & quando, ubi, quibus authoribus, ac quorum in usum & gratiam lata sit? ob varias authorum sententias res est adeo densis involuta tenebris, ut vix, ac ne vix quidem, erui & in meridiei lucem protrahi possit. Admodum tamen probabile est Salicæ Legis nomen a Saliis esse; Sic vero olim dicti omnes Franci; illamque cœpisse antequam Franci simul unum sibi communem elegerunt Regem, neque vel Galliæ, Belgicæ, ut Jacobus Chiffletius & Gothofred. Wendelinus, vel Brabantix, ut idem Wendelinus, aut magnæ Bataviæ, ut Matthias van der Hove in *antiquitat. Batav.* voluit, sed Germaniæ natales ejus deberi, licet natalitiæ villæ certo demonstrari nequeant; ac latam quidem a Primoribus populi s. electis Proceribus & Rectoribus gentis Francorum, quos sequior ætas Graviones appellavit, in usum omnium originariorum Francorum, quod latius probat Conring. *d. cap. 7.* Secutus autem temporibus eandem & a Regibus multum auctam, quemadmodum de Carolo M. ejusque filio Ludovico pio in specie probat laudatus Conring. *d. tr. c. 12. & 15.* Cum Carolina vero Prosapia vim ejus in Germania expirasse. In vernacula appellatur *Vermählung zur linken Hand / oder an die lincke Hand /* propterea quod moribus hodiernis data (ut plurimum) coram ministro Ecclesiæ copulationem peragente ac benedictionem copulatis impertiente, sinistra, tanquam symbolo peculiaris effectus, contrahi soleat, ut refert Fritschius in *Suppl. Speidelio Besold. voc. Vermählung.* Scilicet illa sinistra pro dextra, communiter dari sueta porrectio, signo esse debet, assumptam conjugem dignitatis & honoris mariti non omni ex parte participem futuram.

VII. Diximus *matrimonium ad morganaticam esse legitimam Viri Illustris ac nobilis & sequioris conditionis femine conjunctionem.* Controvertitur quidem inter Dd. *Virum Vir illustri cum muliere vilioris conditionis, Nobilis cum ignobili,*
atque

atque sic per se honoris gradu ac statu dispares; tali pacto legitimum contrahere possint matrimonium? Et primo intuitu negativa rationibus non contemnendis munita, hincque amplectenda videtur. vid. Arnif. *de jur. connub. c. 8. sect. 6.* H. Salmuth. *pecul. v. q. 1.* Ac imprimis matrimonium tale communis fere Dd. Schola injustum ac illegitimum esse reputat ob adjectum pactum morganaticum, liberos pariter ac uxorem a dignitate & successione Paterna excludens. Quod aperte maximam continere injustitiam *ad 2. F. 29. pr.* exorbitare ab omni justitia & æquitate *ad 2. F. 26. §. mulier* & conditionem talem matrimonio adjectam omnino turpem esse, ac sustineri saltem speciali loci consuetudine, quia non pugnat cum substantia matrimonii, *ad 2. F. 26. §. Filii nati* Alvarottus dicit: quibus gemina tradit Frid. Schenck. L. Baro a Tautenburg, Joh. Anton. de S. Georg. (qui, quia Præpositus olim fuit Ecclesiæ S. Ambrosii Mediol. Præpositus vulgo appellatur) Matth. de Afflicis *dd. ix. Zas. de feud. p. 8. n. 71.* Imo a quibusdam hæc matrimonii nostri species etiam inter monstra refertur v. Salmuth. *cit. Resp. in q. 1. resol. fol. 151.* Haveman. *Gamol. lib. 3. t. 3. in fine.*

VIII. Verum enim vero affirmativa ut receptior, ita quoque verior est. Nec adjectum pactum morganaticum consuetudine approbatum matrimonium tale ulla ratione reddit injustum. Hoc enim nullam moralem vel naturalem continet turpitudinem aut injustitiam, cum lege morali aut naturali minime prohibitum sit, in arctissimam (conjugalem) societatem cum scemina conditione ac genere inæquali, affectu quidem maritali, & sobolis procreandæ causa, citra tamen animum communicandi successionem & dignitatem, tam ipsi, quam liberis, coalescere. Neque matrimonii substantiæ ac legitimitati (ut ita dicam) quicquam in hoc decedit conjugio, sed fit & manet scemina uxor legitima, liberi nascuntur legitimi,

B

saltem

saltem amputantur nonnulli effectus civiles, ut sc. uxor non corrumpet radiis mariti; ut filii non in eandem cum patre dignitatem surgant, ut non hæredes fiant in familia & bonis patris omnibus. Per quam effectuum civilium amputationem nulla, neque uxori neque liberis, infertur injuria, non illi, propter suam consensum, non his, quia patri liberum quoque fuerat, omisso cum illorum matre concubitu, eos nec generare, vel si conscientie rationem habere noluisse, concubina loco matrem habendo, naturales plane eos gignere, qui tamen nunc & honesti sunt & nobiles, nec a paternis bonis, quorum ipsis ab initio matrimonii sua pars assignata est, omnino exclusi. Charisius *de foro conscient.* c. 2. n. 132. Strick *Exam. Jur. Feud.* c. 7. q. 8. Pluribus argumentis & rationibus justitiam matrimonii nostri ad morganaticam probant contrariis simul fusius respondentes Myler. *d. c. 6.* Henr. Lynck. *Disc. de matrim. Leg. Sal. contract.* c. 2. & imprimis Salmuth. *d. resp. q. 1.*

IX. Originem aut matrimonii nostri, quod ad morganaticam contrahi dicitur, non 1. arcessimus a nuptiis Abrahami post obitum Saræ cum Cethura contractis, ex quibus nati liberi una cum Ismaeli, ancillæ Agaris, in thorum viva Sara, consensu ejus ascitæ, filio, etiam donis ac muneribus quibusdam a Patre dimissi, tota reliqua ipsius hereditate ad unicium Isaacum ex primo matrimonio cum Sara solenniter contracto susceptum delata. Nam etsi has cum Kethura, velut secundaria uxore, contractas nuptias comparat cum matrimonio nostro ad morganaticam Hugo Grotius. 2. *de I. B. & P.* 7. 8. attamen multis parafangis das duas conjugii species ab invicem distare probat Plur. Reverend. & Digniss. Dn. Cancellarius Univerf. nostr. Joh. Ad. Osiand. *in doctissimis suis ad d. Grotii loc. annotat.* triplex imprimis ob obulos ponens discrimen, quod inter illas intercedat. Neque 2, eam ex jure gentium repetimus, multo minus

nus 3. ex juris civilis sancitis, quippe quibus magis contrariatur quam convenit; sed 4. Longobardorum, aliorumque Germaniæ populorum moribus cum Mylero, *d. c. 6.* & Lynckio *d. c. 2. n. 13. seq.* adscribimus.

X. Ineunt hoc matrimonium ex parte una personæ nobiles & Illustres, sub quibus omnes Magnates, Reges, Principes, Comites & Barones comprehendimus, cum foemina sequioris conditionis ex parte altera, mutuo, conjugali, eoque legitimo h. e. publico, vero, vi minisve non coactio, aut promissis illecto, & pleno, nec ambiguo vel veneficiis aut cæco amore turbato, consensu, ceu qui ad omnem societatem vitæ voluntariam, cujus generis quoque est societas conjugalis, requiritur. Et si partes contrahentes adhue dum suos superstites habeant parentes, consensus eorum etiam hinc non minus, quam in aliis matrimoniis, simpliciter, ac sine tali pacto initis, est necessarius, tam a parte Viri Illustris, quam foeminae dignitate inferioris, quoniam ipsa natura & inde oriundum jus Parentum consensum ad nuptias liberorum exigit, exigit & Jus Divinum ac gentium, proinde eundem nec Principes negligere decet, utpote quos jura prædicta æque ac privatos obligant. vid. Cujac. *lib. 3. Obs. 5. Arnif. de jur. connub. cap. 3. sect. 10.* Henr. Petr. Haberkorn *Dec. 128. per tot.* Sic de Cyro jam victore gentium, jam Babyloniam a se subactam ingresso Xenophon *lib. 8. Ex placito patris ac matris filiam Cyaxaris ducit*, scribit. De Salamone matre quasi pronuba filiam Pharaonis in uxorem ducente, etsi non expressa quædam tamen in sacris vestigia.

XI. Num vero & *Cæsareæ Majestatis consensus ac ratificatio ad matrimonii nostri a Principe Comitæve Imperii cum inferioris conditionis femina contracti validitatem præcise sit necessaria?* non inconvenienter hic quæritur. Licet autem Germanorum Principum connubia, ab isto tempore, quo principes

uti nunc sunt, fuerunt, semper libera sint habita; ipsique non tantum inter, se, sed & cum exteris, matrimonia pro lubitu, irrequisito Cæsaris consensu, contraxerint, & illam libertatem contrahendorum pro lubitu matrimoniorum hætenus, contradictione Imperatoribus consensum suum requirendum prætentibus opposita, illibatam servarint, Myler. *Gamol. Person. illustr. c. 2. n. 7. & c. 3. n. 4. seqq.* cum in Gallia, Hispania, Anglia, non solum Principes cæteri, sed ipsimet etiam Regum fratres sine præcedente Regis consensu matrimonia contrahere, aut filias suas elocare per Leges ac Constitutiones regnorum prohibeantur. Idem *de Princip. & Stat. Imper. lib. 1. c. 31. n. 4. & Gamol. c. 2. n. 4. & seq.* In hoc tamen matrimonio Cæsareæ Majest. consensum requirunt Salmuth. *sæpius cit. Resp. quest. 3. p. 169.* Myler. *d. c. 6. in fine Lynck d. dist. c. 3. n. 29.* Quod etsi concedamus in casu, quo donum matutinale in bonis feudalibus ab Imperatore & Imperio dependentibus est constitutus, qui has contrahit nuptias, eum tamen æque necessarium non putamus, quando matrimonium hoc contrahens, donationem morgaaticam uxori ac liberis nascituris de bonis alodialibus facit. *arg. Capit. Leopold. art. 39.*

XII. Personas contrahentes diximus esse ex parte una Viros nobiles & Illustres, ex parte vero altera foeminas inferioris conditionis; nam in his personis vel in subiecto suo proprio hætenus consuetudo hoc matrimonium nostrum firmavit atque approbavit. Quin tamen eadem consuetudo, & inter privatos, ac plebejæ fortis homines, ut nempe cuique ipsorum in favorem forte liberorum ex priori matrimonio sibi natorum etiam uxorem tali lege, talique conditione ac pacto, ducere liceat, ut nec ipsa, nec nascituri ex ea liberi, post mortem illius amplius ex bonis ejus prætendant, quam portionem illam hæreditariam, quæ ipsius nuptiarum tempore pro legitima sit assignata, præsertim cum moribus pacta hæreditaria

ria

ria fere regulariter etiam quoad privatos jam sint approbata. Vid. Hahn. *tr. de jur. rer. c. 9. 10. add. 2. F. 26. §. mulier.* Bitsch. *ad 2. F. 26. §. filii nat. not. 3.* nec non inter nobiles & Illustres utrinque personas, ut nim. non minus æqualis fortis scemina, præprimis secundo matrimonio, extantibus liberis ex primo prognatis quam inæqualis & inferioris conditionis, mediante pacto morganatico a Viro illustri ducatur & in thori partem assumatur, pariter recipi ac induci queat, nihil est quod impediatur, hætenus vero utrobique exemplorum copia, ad introducendam ac probandam consuetudinem necessaria, deficit, teste Mylero *cit. cap. 6. n. 1. Lynck. c. 3. n. 4. 7.*

XIII. Cæterum si matrimonium morganaticum inter prædictas personas, in quibus illud consuetudo nunc firmavit, initum legitimæ conjunctionis nomen, quod ei supra tribuimus, tueri debet, requiritur, ut contrahentes quoque sint personæ ad finem conjugii aptæ, ac solutæ, nec aliud ali-quod ei obstet impedimentum. Quis enim legitimum diceret matrimonium ab eo, qui naturaliter ad finem divinitus in conjugio intentum plane ineptus, contractum? Neque si, quæ de Principe quodam Germano Jonstonus in *Thaumatographia. cl. ult. de admirand. hom. art. 3. sub init.* ex Nancel. *Analog. Microcos. l. 7.* refert, quod nempe ictu bombardæ viratus, pene argenteo, felici successu liberis generandis operam navaverit, vera essent, oppido, evincerent, a quocunque enormissimo etiam defectu vel vitio circa genitalia laborante, legitime matrimonium contrahi. Et quis porro nescit, ligamen matrimonii, quo minus quis, quamdiu alteri adhuc viventis ligatus, aliam ducere valeat, impedire, ac sequens matrimonium, etiam ad morganaticam contractum, dirimere, vel potius nullum esse evincere? etiam si fingatur aut ponatur prioris uxoris consensus. Unde B. Danhav. in *Th. consc. p. 2. sect. 2. Dial. 3. a. 5. q. 5.* cordate pronuntiat, illicitum omnino fuisse concubina-

tum (matrimonium morgani.) Magni cujusdam quondam Principis Germani *ῥπιορρα*, cui conjux Illustris, quia inexhausti ad usus veneros fuit succi, ut non potuerit, quoties voluit, ipsi debitum Evnoæ reddere, potestatem fecit sibi concubinam (uxorem ad morgani.) adjungendi, eique minime licuisse illa sibi ab uxore data potestate frui, quia accidens tale non valuit tollere regulam, sed tanto ardentius orandum, temperantius vivendum, patientius ferendum fuit, quanto natura monstruosa foedius ferocit, nec illa se suo potuit privare jure, cujus privatio zelo naturali ac inexpugnabili adversatur.

XIV. *Sed annon tamen olim Comiti a Gleichen feminam Saracenam foris in premium liberationis ex captivitate Turcica ductam superaddere domi uxori prima licuerit? & idem hodiernum adhuc cuilibet pro obtinenda foris liberatione ex barbaro carcere facere liceat, maxime, si liberis ex priori legitima conjuge susceptis, posteriorem ad morganicam ducat?* quæstio non minus utilis, quam jucunda est. Quamvis autem factum Comitis de Gleichen (stirps horum Comitum jam exaruit, sed non tantum titulum, verum etiam superioritatem, jusque voti & sessionis in Comitibus, ob quasdam illorum possessiones, nominatim Castrum Gleichen cum vico *Wandersleben* &c. ad Ecclesiam Moguntinam ex lege feudali devolutas & ab hac rursus per Præsulem Anselmum Casimirum beneficii jure in se translatas, Comites Hazfeldii sibi sumpservunt, non sine contradictione Ducum Saxon. lineæ Vinariensis & Gothanæ, Qui quoque Illustris. Comites Hohenloicos de Comitatu Gleichen, quem sibi maximam partem lege fiduciaria obnoxium prætenderunt, ob pactum hæreditarium inter ultimum Comitem de Gleichen & illius affines prox. Comites Hohenloicos initum, ac à se propter reliqua etiam Gleichenia, eaque alodialia, bona Clientelæ ipsorum subdita confirmatum, inveniverunt, qui inde pariter nomen Comitum de Gleichen suo adje-

adjecerunt & se hodie Comites de Hohenloe & Gleichen scribunt. Vid. Gassel. *de Stat. Europ. noviss. p. 5. cap. 31.*) Theologos approbasse testetur Gerhard. *de conjug. §. 226.* Hævemann. *Gamol. lib. 3. tit. 4. in fin.* & ideo eo facilius ipsam dispensationem Pontificis obtinuisse referat Anton. Matthæi *ad lib. 48. ff. tit. 3. c. 7. n. 8.* simile exemplum allegans, quod suo ævo contigerit, & neque damnare, neque probare sustinuerit Amstelodamum, ac porro addens, suo judicio haud male factorum judicem, si hujusmodi homine in judicium adducto Areopagitas imitetur, accusatoremque & reum post 100. annos redire jubeat; atque de alio adhuc Nobilis cujusdam Saxonici exemplo testetur Beehman. *ad ff. tit. deriv. nupt. n. 6.* quod, cum ille uxoratus in militiam Polonicam ivisset, & a Moscovitis captus non aliter ex carcere liberari potuisset, quam liberatrice sua virgine Moscovitica in uxorem ducta, eadem autem stipatus in Saxoniam reversus, ac tanquam bigamus a Præfecto detentus fuisset, JCtorum Jenensium sententia, ob probatam, quam prærendit, necessitatem & coactionem, ab inquisitione absolutus, primæque uxori alimenta suppeditare jussus fuerit. Attamen aliter de illo Comitis de Gleichen factis laudatus antea Danhæuerus *d. l.* judicat, religiose pro conscientia respondens, illicitam fuisse semel admissi ab ipso delicti continuationem, quocumque illa etiam alias pietatis titulo cohonestetur, in male promissis enim rescindendam omnino esse fidem. Ex quo de aliis similibus facile quoque est judicare.

XV. Prima autem vel secunda vice num contrahant matrimonium prædictæ personæ, nihil refert. Nam non minus, illo, quam hoc casu, recte cum pacto morganatico istud contrahunt. Licet enim *lx. 2. F. 29.* loquatur de vasallo, filium ex nobili conjuge jam habente, & dicat, quod ille, cum se post mortem ejus continere haud potuerit, in peccato existere nolens, hoc pacto aliam minus nobilem duxerit, indeque Kizelius in *sy-*
nopf.

propf. matrim. c. 9. theor. 6. Fritsch. in Supplem. Speidel. Besold. facultatem sic contrahendi matrimonium ad secundas nuptias restringere videantur; attamen minime existimandum, inter illas circumstantias doctrinam istam restrictive consistere, secundi enim matrimonii dicto in textu tantum exempli causa, & quia forte sic in facto contigerat, fit mentio, ceterum idem est, si vel maxime in primo matrimonio pactum tale adjectum fuerit. Frid. Schenck. *ad 2. F. 26. §. filii nati. n. 3.* Bitsch. *ad 2. F. 29. not. 2.* Quod vel mores nostri hodierni probant, ceu quibus saepe magnates & Illustres foeminas dignitate inferiores primo statim matrimonio sibi jungere videmus, hac in favorem agnatorum adjecta conditione, ne liberi ex matrimonio illo nati succedant, & paterna fruantur dignitate ac honore, sed certo titulo, certisque bonis & redivitibus contenti vivant.

XVI. Verborum: nolens existere in peccato in text. *2. F. 29.* quis sit sensus, varie a variis exponitur. Hottomannus cum affectis ea simpliciter de secundis accipit nuptiis, quas plerique ea aetate damnarint, & pro peccato habuerint, ex doctrina Tertulliani *lib. monogamia & de exhort. castitat. secundas nuptias, & imprimis tertias ac quartas, ut supra & adulterio habendas esse*, scribentis, Gregorii Nazianzeni & aliorum Ecclesiae Dd. quos Patres vocant, non immerito ob *tex. 1. Tim. 5. 4. 1. Cor. 7. 39. Rom. 7. 2. 3.* cum censura allegatorum, a Rittershusio in *Diff. jur. civ. & Can. lib. 2. cap. 1. & ad Nov. p. 4. c. 3.* Sed cum illi, qui iteratas nuptias (quarum etiam plus quam vicies repetitarum memorabile exemplum, quod sua contigerit aetate, Hieronymus *lib. 3. tr. 3. Epist. 11.* ex eoque Rittershus. *d. l.* refert, ac aliud non minus notabile Cluverius in *Epit. Hist. sub Matthia Imp. ad ann. 1616.*) damnarunt, ab omni conjunctione abstinendum censuerint, nec concubinatum, aliamve conjunctionem iustis nuptiis praetulerint; In text. vero *2. F. 29.* Vasallus peccatum evitaturus non ab omni conjunctione abstinuerit, sed

sed tantum sub singulari quodam modo matrimonium inierit, (ex Hottomanni sententia concub. acceperit, perperam v. Puffendorff. d. I. N. & Gent. l. 6. c. 1. n. 36. & supra thes. 8.) illa interpretatio Juri Feudistæ menti plane non convenit. Melior est Cujacii, qui ea non de ipsis secundis nuptiis, sed de eas consequentibus incommodis intelligit, idque illis inani putat, non modo defunctæ conjugis memoriam lædi, si altera disparis conditionis æquali cum illa honore diligatur, & in uxorem assumatur, sed & in liberorum prioris matrimonii caritatem peccati, dum ipsis & noverca superinducatur, & succedendi conditio deterior reddatur; Nec tamen illa mentem Feudistæ plene explicat.

XVII. Optima igitur & verbis textus, tum antecedentibus, tum consequentibus, per omnia maxime conveniens videtur Bitschii expositio, qua hunc totius loci sensum esse tradit: *Quidam Vasallus habens filium ex nobili conjugæ, post ejus conjugis mortem, cum se continentia dono præditum non esse, nec sine femine cohabitatione vivere posse sentiret, & tamen nec concubinam alere vellet, quia id peccatum esse intelligeret: nec liberis prioris matrimonii conditionem successionis futura deterior reddere cuperet, rationem adinvenit, qua utrumque incommodum evitaret. Nam & desponsavit sibi mulierem aliam (quam quod Vasallus prius aliquandiu in concubinam habuerit, ut ponamus cum Sonebeccio h. & aliis, nulla nos cogit necessitas) & desponsavit ea lege, ut nec ipsa, nec filii ejus ex isto matrimonio nascituri amplius de bonis ipsius, (patris scilicet) quam temporis sponsaliorum dictum fuit consequerentur. In quam sponsaliorum legem tanto facilius consensit mulier, quia alias tanquam minus nobilis maritum istum nacta non esset. Quam expositionem & Lynckius d. Disc. c. 1. num. 36. 37. probat.*

XVIII. Forma matrimonii nostri generica, perinde ut cujusvis alterius conjugii, consistit in legitima & indissolubili

C

Viri

Viri ac feminae in unam carnem conjunctione, sive indissolubili animorum vinculo sobolis procreandae causa contracto. Extra adjectum pactum morganaticum enim, indeque profluentem effectum, hoc nostrum matrimonium ab alio conjugio non differt, sed communem & ordinariam connubii naturam, quatenus per pactum vel consuetudinem non est alterata, servat ac retinet, deque ejusdem requisitis participat, ita, ut quae divino vel humano jure alias de matrimonio vel contrahendo vel dissolvendo sunt constituta, & circa illud vel contrahendum vel dissolvendum sint observanda, nisi contrahentes ob potestatem Majestaticam vel superioritatem territorialem humani juris vinculo sint soluti. Lynck. c. 3. n. 8.

XIX. Forma ejus specifica vero, qua ab aliis conjugis hoc nostrum matrimonium distinguitur, consistit in pacto morganatico, quo 1. uxori & nascituris ex ea liberis Morgengaba constituitur, & pro libero constituentis arbitrio determinatur, cum certa illius quantitas legibus Imperii nostri adhuc obligat haud sit definita, merito tamen sic exactitate definienda, ne liberi prioris matrimonii de inofficiosa dispositione nec ex pactionato hoc matrimonio nascituri de alimentis denegatis, conquerendi causam habeant. Secundo idem plerumque continere solet sequentia capitula: 1. ut liberi ex hoc matrimonio pactionato prognati, licet legitimi sint, nomen tamen & insignia paterna familia nequaquam assumant; nec 2. cum filiis illustribus prioris matrimonii bonorum avitorum heredes fiant, aut in feudis, allodialibus ac Dynastiis, ex aequo succedant: Neve 3. ad divisionem mobilium familia illustris provocent. Ne porro 4. ipsa uxor statum ac dignitatem mariti Illustris ambiat aut assumat, sed in pristino suo statu, aut determinato dignitatis gradu, usque ad extremum vitae spiritum persistat; Nec 5. jura matronis illustribus ad dotalium, geradam, aliave competentia adversus domum illustrem praevendat, sed ut 6. tam ipsa, quam

quam liberi bonis a Patre Illustri sponsaliorum tempore certo pacto constitutis, & pro alimentaria provisione ac hereditatis parte assignatis sint contenti. Atque denique 7. liberi & illorum descendentes in infinitum, in ordine nobilium permaneant, certumque cognomen accipiant, ab tum Patri, tum etiam post mortem ipsius Principi in ejusdem locum succedenti, non minus quam alii Nobiles & vasalli, post separationem scilicet & propriam familiam institutam, subjecti atque fideles sint, aliisque onera regionis tam realia, quam personalia, aequae ut alii nobiles agnoscant denique ita se gerant, ut boni vasalli officium requirunt. vid. Salmuth. cit. Respons. qu. 2. fol. 152. seq. & qu. 3. fol. 167. Myler. d. cap. 6. num. 1. & 2. Lynck. c. 3. n. 4. seq. Super quibus capitibus ab utraque parte reverales confici consueverunt teste Salmuth. d. f. 167.

XX. Circa primum pacti Morganatici articulum quaeri solet: *Anne Pater Illustris liberis ex hoc matrimonio natis legitimam partem relinquere teneatur?* Quod affirmat Nardus Liparulus ad Iterniam in text. 2. F. 29. lit. u. Sed rectius negat Mylerus d. c. 6. n. 31. Lynck. c. 3. n. 19. Etsi enim legitima liberis communiter jure naturae deberi nec ipsis sine justa causa adimi posse dicatur, quantitas tamen ejus juris positivi est, & hanc quisque in territorio superior limitare vel augere potest. Quo igitur jure liberi hi ex matrimonio ad morganaticam contracto nati successione in ceteris Patris bonis excludi potuerunt, eodem etiam a quantitate legitimae alias receptae excludi valent modo alimenta accipiant necessaria. v. Grot. 2. de F. B. & P. 7. n. 4. ibi Ziegler. Perez. ad tit. Cod. de in offic. testam. n. 4.

XXI. Formam externam absolunt solennia, quae in contrahendo & consummando matrimonio intervenire solent. Quo spectat 1. Benedictio ac copulatio Sacerdotalis *die Priesterliche Einsegnung* / quam a Concordio Sotere Rom. Episcopo Platina & Ciaconius in *ejus vita* introductam dicunt & qui-

quidem circa annum Christi 181. referente Cluverio in *Epit. Hist. sub Marco Anton. Philosopho*, p. 286. seq. Sed vid. c. 4. c. 30. g. 5. P. Muller. *Disp. de Hierol. sect. 1. th. 2. 3.* Licet vero maximo matrimoniorum & honestatis publicæ bono, optimoque sine ad evitandas nim. clandestinas conjunctiones, & contentiones de legitima liberorum natiuitate obuenturas præcavendas, ordinata, tamen de substantia matrimonii non est, sed nihilominus est solennitas legalis omnino necessaria cujus omissio, in locis ubi recepta, matrimonium reddit illegitimum, ita, ut inspecta veritate Juris Theorica, liberos inde natos legitimos esse, pronunciare haud possemus, nisi ex usu fori ac præxi singulari favore pro legitimis haberentur. B. Lauterbach. *ad tit. de R. N. in comp. Jur. Schutzii p. 344.* Secundo sinistra manus porrectio, qua, quia dextra ubique fere (vid. *Limn lib. 4. Jur. Publ. c. 9. n. 92. ibique addit*) honoratior, ut supra monitum, innuitur, quod mariti dignitas & honor non debeat pleno jure derivari in adscitam thori sociam, quemadmodum alias a marito, velut capite, in uxorem ac liberos, ceu membra, dignitatis prærogativæ ac præminentia communitè transire solent. Quamquam hæc solennitas non semper & ubivis servetur, neque etiam necessaria sit, cum morganicæ constitutio ad operationem illius effectus sufficiat. vid. Lynck. *c. 3. n. 35. 3.* Deductio sponsæ, die *Heimführung*, de qua vid. Lynck. *Disp. de illustr. person. deduct. ad dom.*

XXII. Exempla ejusmodi matrimonii in Germania nostra a Principibus Imperii contracti varia sunt, inter quæ eminere communitè dicitur in Familia Austriaca Ferdinandi I. Imp. filii, fratris Maximiliani II. Imp. qui Philippinam Antonii Welferi, Patricii Augustani; filiam circa an. 1537. in uxorem duxerit, ex eaque duos filios, Andream nempe, qui Cardinalis ac Episcopus Constantiensis ac Brixienfis postmodum factus, & Carolum, cui Marchionatus Burgavienfis ac Landgravia.

graviatus Nellenburgensis cum Marchionis titulo , mediantibus Provincialibus Ordinibus, pro sufficiente alimentaria provisione assignatus, sustulerit. Verum hoc Ferdinandi matrimonium non formaliter matrimonium ad morganaticam fuisse recte monet Lynck. *d. Diss. c. 2. n. 61.* cum duo ipsius filii ab opulento Domus Austriacæ patrimonio & Archiducali dignitate, non per pactum morganaticam matrimonio adjectum, sed per assignationem Patris, Consilio Imperatoris ac suffragio Ordinum longe post nuptias factam exclusi sint, & Welferia ipsorum mater simpliciter & non adjecto pacto morganatico, ducta. Accuratius igitur exemplum est in Friderico I. Victorioso Palatini Electoratus Administratore & Philippi ex fratre Ludovico nepotis Tutore, qui Philippo hoc anno 1454. arrogato, ac unico Principatum hærede scripto, consensu matris ac Procerum, quibus Pontifex Nicolaus accessit, Casare Friderico III. quantumvis repugnante, proprio nomine Elector esse coepit, cœlibatu tamen, ne nepoti præjudicium faceret, perpetuo promisso, cuius tandem pertæsus Virginem nobilem, Claram a Tettingen, uxorem ad morganaticam duxit, ex qua suscepit Fridericum, Ecclesiarum Wormatiensis & Spirensis Canonicum, anno 1474. ante Patrem mortuum & Heidelbergæ sepultum, ac Ludovicum, qui fratre mortuo solus in Possessionem assignatarum a patre, nepote consentiente, Dynastiarum missus, ac a Maximiliano Casare Comitis dignitate ornatus est, Patre vero Friderico 1476. defuncto, a Philippo Electore pro Dynastiis illis (excepta Scharfenecia) Comitatum Lœvvenstein permutationis titulo accepit, a quo Ludovico hodierni Comites de Lœvvenstein, inclycæ Domus Würtembergicæ Vasalli descendunt. Spener. *Syllog. Genealog. p. 194. seq. & 289.* In Brunsvicensi familia occurrit exemplum Augusti, Wilhelmi Ducis Brunsvigo-Luneburg. & Dorotheæ, filix Christiani III Regis Daniæ, filii tertio geniti, Secretarii cujusdam filiam ducentis, quorum ex complexu orti

sunt Nobiles von Lüneburg; cui nonnemo ex Salmuth. *d. Resp. p. 80.* adjungit, exemplum Ottonis, Henrici Ducis Brunsvicens. & Lüneburg. ex Ernesti Saxon. Electoris filia Margaretha primogeniti, quem, cesso fratri Ernesto Principatu, se Harburgum contulisse, vitam ibidem in quiete transegisse, ac virginem nobilem, Mechtildem nempe seu Mettam de Campen, in matrimonio habuisse, atque ex ea liberos suscepisse, dicit, adducto in testimonium Henrico Bunting. & Meubomio *in Chron. Brunsv.* fol. 443. *seq.* an recte? dubitamus. Nota sunt porro exempla in Bavarica, Badensi, & Anhaltina familia occurrentia, in Ferdinando nimirum, Wilhelmi Ducis Bavaricæ filio, quem an. 1588. Mariam Petembeckiam; Georgio Friderico, Marchione Baden Durlac. quem tertio matrimonio Præfetti sui Reteleno Stauffenbergensis filiam Elisabetham Stozin: & Georgio Ariber- to, Principe Anhaltino zu Wörbitz, quem Joannam filiam Christophori de Croseck, Marescalli aulae Dessavienfis, tali lege ac conditione sibi junxisse constat ex Myler. *d. c. 6. n. 12. 13.* scri- pto pro hoc ultimo sæpius citato Responso ab Henrico Salmuth.

XXIII. Quibus addimus exemplum Johannis Christi- ani Ducis Lignicensis ac Brigenfis in Silesia, Georgii Wil- helmi, Ducis Lignicensis lineæ Plasteæ ultimi, (qui anno 1675. n. Novembr. ex aula Cæsarea, ubi veniam ætatis & feudorum collationem obtinuerat, redux & vitam & familiam ingenti om- nium subditorum luctu ac mœrore, morte clausit,) Avi, qui post mortem Dorotheæ Sibyllæ Brandenburgicæ, Johannis Ge- orgii Electoris Brand. filia, anno 1620. ductæ ac 1625. extinctæ, (ex qua præter gnatas duas tres habuit filios, Georgium nempe, Ludovicum & Christianum prædicti Georgii Wilhelmi Patrem qui singulari concordia divisit inter se Principatibus Patri, imo quia priores duo sine prole mascula anno 1663. & 64. defuncti & sibiipsis successere) Hedwigam Sitschiam in thori consortem assumpsit, ex qua ipsi post alios utriusque sexus liberos nati sunt

Augu-

Augustus & Sigismundus, quorum hic Baronis Lignicis titulum gessit, & sine prole a. 1664. fatis concessit; ille vero dignitate Comitis Lignicis auctus, Brigenfis Ducatus Capitaneus fuit, cuius viduam, Georgii Ludovici Principis Nassovio-Dillenburg. filiam ineunte an. 1630. nuptiis sibi junxit Ferdinandus Gobertus. Comes in Aspermont & Reckheim &c. Augustissimi Imp. Leopoldi Camerarius & Colonellus. Item exemplum Ludovici Christiani Comitis de Sayn & Wittgenstein, qui pariter post obitum Elisabethæ Margarethæ Comit. Solmensis, cum qua sterile ipsi fuit conjugium, foeminam ignobilem matrimonio ad morganaticam sibi junxit, ac modo mense Junio, anno 1681. naturæ debitum explevit. Et horum plura facile adduci possent, sicut passim quoque varia inæqualia referuntur matrimonia, sed quæ non omnia statim sunt matrimonia ad Morganaticam.

XXIV. Finis est vel principalis vel minus principalis vel remotus vel proximus. Finis principalis & proximus est conservatio splendoris familiarum Illustrium, remotus, utilitas publica. Minus principales sunt, ne liberis prioris matrimonii vel agnatis præjudicium contingat, nec ipse contrahens in peccato h. e. illicito concubinato vivere cogatur, Stryck. *Ex jur. Feud. c. 7. q. 6.* & quos plures fines vel potius causas impulsivas ex contingentia facti solertissime collegit saepe laudatus Salmuth. *p. 42.* ex quibus præstantiores saltem huc transferre sat erit, utpote 1. Die gegenwärtige Läuften und beschwehliche Zeiten / 2. Die Niederschlagung und Abgang der intraden und Taffelgüter / 3. Daß die durch Krieg und andern Unfall ruinete Städt / Schlöffer und Dörffer große deputat und sächlichen Unterhalt nicht errraen könten / 4. Damit durch Personen niedrigen Standes viele unrichtige Speien und Aufgaber mögen unterlassen werden / 5. der Widdum sambt den Frau in collecten erträglich gemacht werde / 6. ratione dotis illaræ
keine

keine servitutum sich auf den Hals zuziehen / 7. damit man im Alter oder Krankheit desto bessere Auffwartung genießen möge / 8. nicht etwann in eventum ratione der Heyrathgüter und Rückfälle Feindschaft erwecket werden müßte / *re. quas causas latius ibidem deducit Salmuth.*

XXV. Effectus ex quibusvis aliis nuptiis proveniens legitimis, & huic nostro communis est matrimonio, quatenus pacto morgantico vel expresse vel tacite vel per consequentiam non est restrictus. Consistit vero ille, matrimonio in abstracto considerato, non tantum in communicatione 1. animorum, quæ complectitur mutuam illam benevolentiam & arduissimum amorem, qui inter conjuges, utpote arduissime & indissolubiler conjunctos, viget; 2. corporum, quæ continet *ὁφθαλμομένην εὐνοίαν*, conjugale debitum, jus & potestatem mutuam, quam alter conjugum in alterius corpus obtinet, ita ut sese invicem defraudare & alter alteri corpus suum subtrahere nequaquam possit vel debeat; sed & 3. externorum, puta domicilli, facultatum, honorum & malorum, honoris & dignitatis &c. communione quæ hic per pactum morgantaticum sic restringitur ut quamvis uxor majorem per conjugium hoc consequatur splendorem, non tamen omnimodo dignitatis mariti communicatione ipsa gaudeat, sed honore ac dignitate pactis assignata contenta vivere teneatur, sicut & liberi, qui tamen omnino sunt legitimi. 2. F. 29. in Patris potestate, velut ex justis nuptiis procreati, constituti, (nam non putamus discrimen ali-quod quoad potestatem patriam inter personas illustres ac privatas subesse, sed æque personas illustres in Imperio nostro patria potestate in liberos suos, ex justis nuptiis procreatos arrogatos & legitimatos, gaudere ac privatos, arbitramur, cum Rhætio *Inst. Jur. Publ. lib. 1. tit. 20.* Et si quis de eo dubicaret vel unicum exemplum Johannis Friderici Electoris Saxonix a Carlo V. Cæsare d. 22. Augusti 1558. ad patriam potestatem, hifce

hiscæ verbis : Wie wir dann seine Liebden hiermit zur väterlichen Gewalt über ihre Kinder restituiren / ab Hortleder. *Vom Anfang / fort : und Ausgang des Teutschen Kriegs. lib. 3. c. 88. p. 730.* expresse restituti, ad eximendum ipsi scrupulum sufficere posset) & omnibus legitimorum liberorum iuribus gaudent, præterquam, quod inter ipsos & alterius matrimonii liberos, aut agnatos Illustres paternæ familiæ ratione successions, & , ut dictum, plerumque etiam ratione tituli ac dignitatis paternæ, discrimen per pactum morganaticum inducatur.

XXVI. Quod Myler. *d. c. 6. n. 15.* duobus probat exemplis, Primo Friderici, Electoris Palatini Friderici, ex matrimonio, ad morganaticam cum Clara a Tettingea contracto nati filii qui Heidelbergæ sepultus hoc ornatus est Epitaphio : *An Dom. 1474. ipso die Galli obiit Venerab. & Nobilis Dn. Fridericus, Princip. Illustr. & Dn. Dn. Friderici, Rheni, Ducis Bav. S. R. I. Archidap. & Princip. Elect. Filius legitimus, Com. Pal. Ecclesiarumquæ Wormat. & Spir. Canonicus, cujus anima reg. in pace.* Secundo Andrea, Ferdinandi Archiducis Austriae ex Philippina Welferia procreati filii. Sed posterius exemplum huc proprie non pertinere, supra jam diximus. Vera tamen nihilominus est & manet principalis assertio, liberos ex matrimonio inæquali ad morganaticam contracto procreatos, perinde ac ex alio quovis legitimo conjugio natos, legitimos esse. Hinc cum Antonius Comes Isenburgicus lineæ Kelsterbacensis post conjugis suæ primæ, Elisabethæ Wiedensis, (e qua tres habuit filios, Georgium nempe, Wolfgangum & Henricum, qui successively ditionibus paternis præfuere) mortem, Catharinam Gumpelin de Gelenhaar, agricolæ Isenburgici filiam, anno 1551. ita in thorum ascivisset, atque ex ea quodque filium, Johannem Ottonem sustulisset, huic vero parente mortuo a fratribus e priori conjugio natis, controversia status moveretur, nec ipse

D pro

pro legitimo ab iis agnosci vellet, sedes Archi-Episcopalis Moguntina, quam tanquam iudicem Ecclesiasticum ex constitutione canonica adierat aliquot adversus Ifenburgicos decrevit ac emisit citationes ad videndum & audiendum, ipsum legitimum declarari, quas tamen illi parvi fecerunt.

XXVII. Gradus autem dignitatis, quo tam uxor, quam liberi ex ea prognati, frui debent, plerumque pacto morgantico determinatur, sicut eodem etiam doni matrimonialis ipsi profuturo & alimentaria provisione vel dotis loco assignati quantitas definitur, quibus quidem ob pactum matris tempore nuptiarum inintum, de in contenti esse coguntur, a reliqua patris substantia & successione exclusi. Myler. *cit. c. 6. n. 15.* Neque in feudis etiam ac fidei commissis familiarum bonisque emphyteuticis succedunt, 2. F. 29. ibi Dd. Knipschild. *de fideicom. famil. nobil.* Myler. *d. c. 6. n. 32.*

XXVIII. *Quid si vero filii aut nepotes primi matrimonii, in quorum gratiam Pater hoc matrimonium contraxit, absque descendantibus decedant, num tum filii ex hoc matrimonio nati, eorumve descendentes in bonis Patris aut avi, qui hanc successionem conventionalem constituit, succedunt?* videndum utrum conventio adeo generalis, ut totalem eorum in favorem quoque agnatorum, exclusionem contineat, annon. Priori casu negatur. Posteriori subdistingunt Dd. inter bona allodialia & Feudalia. In illis ipsos omnino succedere, ac collateralibus jure meritoque praeferrere dicunt per 1. x. d. 2. F. 29. Alvarott. *ad 2. F. 26. §. filii nati n. 2.* In his eosdem ab agnatis excludi communiter tradunt. vid. Alvarott. *d. l. Sonsbec. p. 9. n. 50. seqq.* Borcholt. *C. 7. sect. 2. n. 56.* Sed commodius distinguit Struvius *c. 9. aph. 5.* an pactum morganticum ita conceptum, ut eos penitus & perpetuo a successione excludat, ut tunc nullo modo succedant, an vero excludat ipsos saltem, donec liberi

ex priori matrimonio superstites, ut sic defunctis hiſce ſine prole legitima, a ſucceſſione feudali non excludantur.

XXIX. Non autem dubitamus, quin pactum hoc conſtante matrimonio a Parente Illuſtri mutari poſſit. Cum enim liberi ex hoc matrimonio nati ſint legitimi & omnis ſucceſſendi vis intuitu horum liberorum dependeat ex arbitrio patris, arbitrium vero tale ambulatorium ſit uſque ad extremum vitæ halitum, qui prohiberetur Pater idem in favorem hujus matrimonii mutare? ſi nimirum abſolutam de bonis ſuis habeat diſpoſitionem. Quod ſi vero illa ipſi reſtriſta ſit, uti vaſallo, per ſe patet, non aliter ei facultatem conventionem morgaticam revocandi concedi poſſe, quam ſi conſenſum Domini, imo quandoque & agnatorum, prius impetraverit. Myler. *d. c. 6. n. 37. 38.* Lynck. *c. 3. n. 69. 70.*


XXX. In concreto conſiderati matrimonii effectus complectitur officia conjugum, quæ vel utique communia vel unicuique propria, de quibus Gerhard. *loc. de conj. §. 44. ſeqq.* Ad affinia matrimonii noſtri pertinent ſecundaria Hæbræorum connubia nec longe ab eo abeunt ſecundæ nuptiæ apud Brabantos, & in Ducatu Monteniſi ac Juliæcenſi, nec non Epiſcopatu Leodiæniſi de quibus Grot. *2. 7. 8.* Myler. *d. c. 6. n. 11.* ubi huc refert & matrimonium in partibus orientalibus uſitatum, ad Thalac dictum, de quo Gabr. Palæottus *de noth. & Spur. c. 17. n. 8.* quod tamen verum matrimonium dici non meretur, cum ad miriſi lubitum dirimatur, nec liberi ex eo nati legitimi habeantur. Sufficiat autem ex hac latiffima materia pro ſpecimine hac vice delibaffe.

T A N T U M !

Faint, mostly illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and includes some recognizable words and phrases.

T A M T





00 A 6429


ULB Halle 3
002 928 54X



sb.

VD 17
VD 18







I. N. J.
POSITIONES SELECTÆ,
DE
MATRIMONIO
AD
MORGANATICAM,
VULGO

Vermählung zur linken Hand

Occasione textus 2. F. 29.

QVAS

FAVENTE JEHOVA,
PRÆSIDE

**DN. GABRIELESCHWE-
DERO,**

U. J. D. ET CONSVETVDINVM
FEVDALIVM PROFESSORE
ORDINARIO.

IN ILLVSTRI EBERHARDINA,

Publico Sympalestritarum certamini

subjicit

JVLIVS FRIDERICVS FRANCISCVS

*Höfzl von Sternstein/
Gaildorffa - Limpurgicus,*

Ad diem Martii M. DC. LXXXIV. h. l. q. c.

ALTORFII NORICORVM

Editio altera TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

